

QR. 531,1.

B. m. II, 633

71633



שׁוֹב  
DISSERTATIO PHILOLOGICA  
De

X1860588

Lingva  
Protoplastorum  
Sive  
Primæva,

Quam

D. T. O. M. A.

In Inclutâ Leucoreâ,

PRÆSIDE

M. AUGUSTO PFEIFFERO,


LaWenburgo-Saxone,

Publicæ συμφιλολογούντων censura  
sistit

ADAMUS SCHMIDT, Plavia-Variscus.

Ad d. 29. Augusti,

In Acroaterio Minori, horis matutinis.



WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Wendt/

Anno 1663.



DISSERTATIO THEOLOGICA

THEOLOGIA

PROLOGIUM

THEOLOGIA

MAGISTRO THEOPHILUS

ADAMUS SOHNHARDT, Praes. Varsicus.



I. N. J. C.

:המקרה



Vanta fuerit prisca seculi felicitas, ubi universus mundus unius labij & sermonis erat, haud difficile est aestimare, si vel, quot & quanta exceperint istam felicitatem incommoda, postquam terrarum orbis per multas & penè innumeras linguas & dialectos quasi in totidem factiones distractus fuit, vel hujus confusionis originem aequa judicij lance perpendamus. Cum enim maligna quondam conspiratione & impio conatu homines profani stupendum opus molirentur ipsum caelum petaturi stultitia, impediti fuerunt divinitus immissa γλωττο συγχύσις, quæ tot linguarum peperit genera nobis jam tanto labore addiscenda. Quia verò jucunda est præteritorum memoria, & nos impræsentiarum opera pretium facturos esse non dubitamus, si, quænam & qualis fuerit prima illa & catholica lingua, pro ingenij nostri modulo investigaverimus. Conatibus nostris ex alto benedicat & pondus addat Jehova!

ASSERTIO I.

Lingua Adami fuit primigenia.

§. 1. Ratio hujus assertionis in propatulo est, quia Adamus fuit primus homo. Explosa enim jamdudum & omnibus bonis exosa est sententia Isaaci Peyrerij Galli, qui id nimis temerè negare & homines quosdam Utopicos in scenam producere ausus fuit, qui Adamum multis seculis antecesserint. Nihil scilicet adeò ab omni ratione remotum & à veritate alienum unquam fuit, quod non curiosa quandoq; exoscularentur ingenia. Ipse tamen Peyrerius primus hujus fabulæ inventor non fuit, longe quippe antiquiores vanissima hæc opinio agnoscit natales, quæ nobis è Rabbinicis quibusdam lacunis hausta videtur. Nam in libro Cosri, citante D. Thomâ Bangio in *Cælo Orient. Exerc. 2. p. 132.* narratur, fuisse qui statuerent civitates & ædificia fuisse ante centies mille annos apud Indos; libros quoq; periodum 10000. annorum complectentes à quibusdam Astrologis conscriptos; imò & homines quosdam ante Adamum nominibus suis ab iis appellari, nim. Janboschar, Zagreth, Roani, Somboscher, quorum ultimus Adami Præceptor fuit, si vera est, quæ narratur, fabula.

A 2

§. 2. Quid?



§. 2. Quid? quod & nonnulli ex Judæorum Magistris alios jam mundos (ita cum Poëtis loqui nobis liceat) ante hunc, in quo Adam & Eva conditi, fuisse statuunt. De R. Abhu, R. Jebudâ & Don Isaac Abarbenele id refert Menasseh Ben Israël *de Creatione Probl. 12. p. 50.* Se verò ab hâc ipsa sententia non abhorrere hisce profitetur verbis: *Ex eo, quod dicuntur alij mundi fuisse ante hunc mundum, non sequitur materiam primam aternam fuisse (quemadmodum argumentatus erat R. Moses Ægyptius) cum dici possit mundum hunc conditum esse ex nihilo & ex totali privatione; mundum verò istum, qui hunc antecessit, planè dissolutum & destructum fuisse. Quod fidei nequaquam repugnat. Præterea cum Cabbalists velint mundum terrestrem quolibet anno Sabbathico, seu singulis septem milibus annorum destrui, quis nobis certò indicabit an stemus in prima revolutione, & non in secunda vel tertia? Et mox: Sed etiam addunt in eo latere mysterium, quod lex incipiat à litera ב Beth, בראשית in principio, quia ex Hebræorum ratione numerandi ב valet duo, ita ut ex eorum opinione secundus tùm mundus fuerit. Quis, quæso, hunc piscem quæsiisset in isto gurgite? Sed quicquid sit, nobis est sacrosancta sacrarum literarum autoritas nec nostrum prolixius hanc sententiam excutere. Peyrerius quidem multorum censuris petitus & tandem ad palinodiam adactus est. Diluerunt ejus commenta Dn. D. Job. Danbawerus, D. Job. Micraelius p. m. L. Job. Hilpertus, Job. Ursinus Spirensis, Samuel Maresius, Anton. Hülsius, Eusebius Romanus, & qui ante omnes nominandus erat, Adm. Rev. & Magn. Dn. D. Calovius, Præceptor noster venerandus, Syst. Theol. Tom. 3. p. 1049. seqq.*

#### ASSERTIO II.

*Lingua primæva in confusione Babylonica non periit.*

§. 1. Assertionem nostram facilè probamus hac ratione: Si lingua Ebraica non interiit, lingua primæva non interiit. Sed illa non interiit. E. nec hæc. Consequentia patet, quia lingua Ebraica est primigenia, uti infra ostendemus. Assumptum verò negari nequit. Addi posset & hoc argumentum: Quicumq; non interfuerunt ædificationi turris, illorum lingua confusa non fuit. Sed Noachus cum suis non interfuerunt ædificationi turris. E. Majoris consequentia est manifesta. Minor verò non difficulter pro-

probatur. Si enim seqvi velimus Ebræorum *שְׁנוֹתָאֵם*, Noachus decem annos post confusionem lingvarum vixit. Nam in *Seder Olam Sota* à diluvio ad divisionem lingvarum numerantur CCCXL. anni. Cum ergò Noachus post diluvium CCCL. annis superstes fuerit, (*Gen. 9. v. 28.*) *πνευματικῶν σύγγραφῶν* fuerit, necesse est. Sed cum Judæorum calculus corruptus sit, tutius sequimur doctissimorum Chronologorum sententiam, qui confusionem lingvarum anno post diluvium centesimo primo factam esse statuunt, moti hoc argumento, quod *Peleg* eo ipso anno natus sit. Juxta horum ergò sententiam Noachus post divisionem lingvarum 249. annos vixisset. Quis verò, nisi vesanus, dixerit Noachum cum suis impio isto Chamitarum & turbæ Nimrodicæ proposito delectatum fuisse? Vid. Barth. Mayerus *Phil. Sacr. P. I. p. 26.*

§. 2. Sentit nihilominus *Hugo Grotius*, Vir aliàs non indoctus, primam lingvam nullibi extare, verùm in confusione periisse, ejus tamen reliquias in omnibus lingvis superesse, ad *c. 11. Gen. & Not. ad l. 1. de Verit. Relig. Christ.* Quare ita sentiat, fatemur nos non adeò videre. Ad *c. 11. Gen.* dicit: *Lingvam Ebræam, Abrahami & ejus posterorum incolatu in Cananæa, ad Cananæam propius semper propiusq; accessisse nec differre à Punica (quæ eadem, si quibusdam credimus, cum Cananæa) nisi dialecti quibusdam proprietatibus.* Inde ergò probati videtur Ebræam lingvam, ut antehac primava fuerit, non mansisse in corruptam & puram. Verum non probat *Hugo Grotius*, quod dixerat. Nec enim ullo documento unquam probari poterit lingvam Ebræam indies ad Cananæam magis magisq; accessisse. Quod lingua Punicæ Ebraicæ affinis fuerit, id adeò non diffitemur, ut potius ultrò largiamur. Patet id ex *Punicis Plautinis*, quorum rationem ex Ebraismo quadantenus investigare conati sunt *Samuel Petrus Miscellan. l. 2. c. 1. p. 61.* *Samuel Bochartus Geogr. Sacra P. II. Chanaan seu de Colonia & sermone Phœnicum l. 2. c. 6. p. 800.* & *Joh. Phil. Paræus ad Plaut.* licet non omnes eodem successu, quæ de re jam nil attinet dicere. Sed hinc non est concludendum Punicam lingvam ab Ebraica nonnisi quibusdam dialecti proprietatibus diversam fuisse. Affines sunt etiam Ebraicæ Chaldaica, Syriaca, Arabica, Æthiopica, nec tamen hæ illius dialecti, siquidem dialecti



520.  
dialecti vox non ἀκρίτως & καταχρηστικῶς adhibeatur. Vid. hic Mayerus l. c. p. 71.

§. 3. Authores verò non vulgares rectius existimant interlapsum linguam Punicam proximè ad Syriacam accessisse. Probat id Genebrardus l. 1. ann. 2998. & 3327. ex appellatione urbis Carthaginis (Phœnicia) quæ ex *Kartba*, *urbs* & *Go*, *medium*, dicta fuit. Jam *Kartba* & *Go* sunt Chaldaeo-Syri vocabula. Consentit D. Bernhardus Aldretus Canonicus Cordubensis, Scriptor Hispanus doctissimus, *de origine lingv. Castellanae* l. 3. c. 7. Nec abnuit D. Thomas Reinesius in ἰσοῦ ἀφ' οὗ lingu. *Punica* c. 8. ubi probat Punica ex lingua Ebraica & Syriaca, non ex Arabica explicanda esse. Jam lingua Syriaca non differt ab Ebraica ut dialectus. E. nec Punica illi proxima ab hac quibusdam saltem dialecti proprietatibus differre dicenda erit.

§. 4. Accedit huc, quod D. Augustinus, qui inter Pœnos Episcopalem sedem habuit circa ann. 1900. post primum Phœnicum in Lybiam adventum, eorum linguæ callentissimus Ebraicam tamen non intellexerit. E. hæc à Phœnicia non fuit quibusdam saltem dialecti proprietatibus diversa. Non diffitetur id Hugo Grotius, quando dicit *Epist. 114. ad Salmasium* p. m. 242. *Hæc cum ita sese habeant, verum tamen est Augustinum, qui Punicè sciebat, Ebraicè nescivisse.* An D. Augustinus ex modestia saltem dixerit Ebraicè loquentem frustra pulsare aures suas, id quod prætendit D. Brianus Waltonus *Apparat. ad Biblia Polyglotta Anglica Proleg.* 3. n. 16. nostræ quidem tenuitatis non est dijudicare, ex ejusdem tamen commentariis quodammodo constare potest. Ad plura jam transire animus non est.

#### ASSERTIO III.

##### *Lingua Ebraica est primæva.*

§. 1. Ut propius ad propositum nostrum accedamus, dicemus primò quamnam linguam pro primæva & ante γλωττοσύγχυσιν catholica habeamus, aliorum opiniones deinde examinaturi. Pronunciamus proinde, linguam sanctam Ebraicam primævam esse, & non modò Protoplastis, sed & omnibus antediluvianis usq; ad confusionem vernaculam fuisse. Hoc ut obtineamus, non accumulabimus rationes, verum palmarium nostrum argumentum, in quo nobis omne pondus situm, sequens erit:

erit: Ex qua lingua desumpta sunt omnia nomina hominibus ante cata-  
 clysmum universalem Ἐ γλωττοσύγχυσιν indita, illa est primæva.  
 Sed ex lingua Ebraica desumpta sunt omnia illa nomina. E. hæc est  
 primæva. Consequentia majoris non potest sollicitari vel in-  
 dubium vocari, cum lingua ante confusionem unica fuerit Gen. XI.  
 v. 1. Facebat ergò commentum Philastrij, qui in Catal. Heret.  
 c. 106. contendit magnam fuisse linguarum varietatem ante tur-  
 rim extructam, omnes tamen se invicem intellexisse non ex eo-  
 rundem vocabulorum usu, sed ex eâdem loquentium & audien-  
 tium intelligentia. Nec minùs à scopo aberrat ex Judæis R.  
 Elieser, qui in Talmud. Hieros. lib. Megilla c. 1. ante confusionem  
 LXX. linguas fuisse dicit, referente Waltonò l. 1. Prol. 1. n. 6.  
 Cum fuerit אֶרֶץ שְׁפָרָה labium unum, non fuerunt LXX.  
 linguæ juxta R. Elieserem, & cum רַבְרִים אַחֲרָיו verba eadem,  
 non fuit diversorum vocabulorum usus juxta Philastrium. Neq;  
 Minoris probatio multo nobis labore constabit. Adam ita di-  
 cebatur, quia creatus erat ex אָדָמָה adamá, terra, à rad. אָדָם  
 rubuit, unde אֶרֶץ אֲדָמָה terra rubei vel argillacei coloris, notan-  
 tibus Philologis, Gen. II. v. 7. Sic Eva dicebatur חַוָּה Chavvâ,  
 quia erat mater חַיֵּי כָל־חַיִּים chai, omnium viventium, à rad. חָיָה  
 vixit, non κατ' ἀντίθεσιν vel per ironiam, quasi mater morta-  
 lium, sed revera, ut pulchrè ostendit Megalander Lutherus in  
 aureo Comm. ad Gen. c. III. v. 20. Eadem appellabatur אִשָּׁה  
 ischa, mulier, quia desumpta erat ex אִשׁ isch, viro Gen. II. v. 23.  
 Kain, inde nomen sortiebatur, quod Eva dicebat: קַנִּיתִי  
 Kanithi, possedi virum Jehovaham, quanquam in eo hallucinetur  
 Paræus Comm. ad h. l. cum aliis, qui in sola lingua Ebraica hanc  
 interpretationem admitti posse censent: cum & Onkelos & Jona-  
 than reddant, קַנִּיתִי possedi. Ille quidem: Possedi virum à Domino.  
 Hic verò: Possedi virum, angelum Domini, Gen. IV. v. 1. Sic Seth  
 inde dicebatur, quod, dicente Eva, שָׂשׂוּב seshâv, posuerat Deus  
 aliud semen loco Abelis, Gen. IV. v. 25. Sic Peleg, quia ipsius diebus  
 נִפְלְגָהּ divisa fuit terra Gen. X. v. 25. Cum ergò horum & simi-  
 lium nominum Etyma ipse Spiritus sanctus satis luculenter expo-  
 fuerit, nullus jam dubitationi relinquitur locus. Possemus &  
 addere nomina antiquissimarum gentium (ut quod à Madai,  
 Medi, à Javan, Iones, à Gomer Cymbri, à Mesech, Mosci &c.  
 dicau-

dicantur) nec non Deastrorum gentilium ex hac lingua desumpta & necessariò explicanda, nec minus ex hujus lingvæ indole & perfectione argumentari possemus; sed cum nobis grata sit brevitatis & sufficiat unum invidetum argumentum, lectorem remittimus ad Buxtorf. *Diss. 1. de lingv. Ebr. Orig. §. 33 seqq.* & Mayerum *Phil. Sacr. P. II. p. 300. seqq.*

§. 2. Ut verò nervum incidant prioris argumenti illi, quibus sedet τὸ ἰσχυρὸν Φυλάττειν, tria potissimum obtendere solent, quæ si solidè retuderimus, superest ut triumphum agamus. *Primum* ergò est: Mosen illas appellationes non in lingua primigenia protulisse, sed Ebraico sermone expressisse eo significatu, qui in primæva lingua fuerat. Ita Grotius ad c. 11. *Gen.* Verum hoc 1. frivolum est & futile, cum omni destituatur fundamento, nec quidem ullum assertioni suæ colorem inducere possint ejus patroni. Nuda assertio nuda negatione tollitur. 2. Non verisimile, quia aliàs nomina propria in aliis lingvis invariata retineri solent. Nullius est Historici nomina verè propria mutare, ut rectè monet Waltonus *l. c. Prol. 3. n. 5.* Non enim (itidem rectè ait Anton. Nebrissenensis *quinqvagenaria sua, c. 49.*) quia Plato interpretatur Latus & Minerva est Athena, pro Platone Atheniensi quispiam transferreret rectè Latum Minervalem. Et quid absurdius dici posset, quam si pro eo, quod Hebraicè dicitur: Adam ex Eva genuit Abel: quoniam Adam interpretatur homo, Eva, mater viventium, Abel vanitas, sive vapor, sive nihil hoc; quispiam interpretaretur: Homo ex matre viventium genuit vanitatem, sive vaporem, sive nihil hoc &c. Videatur & B. Glassius *Phil. Sacr. l. 4. tr. 3. Obs. 6. p. 778. 3.* est & absurdum, quia Moses ista nomina à Patriarchis ita imposita esse refert, quomodo ergò ipse primus imposuisset? Evam quippe non primus ita vocavit Moses sed Adam, Kainum & Sethum non Moses, sed Eva, &c. Quæ ergò impudentia, adscribere sanctissimo Scriptori, quod nulla ratione probari potest? Sed 4. est & hoc apertissimè falsum, quia Moses & alii Scriptores sacri retinuerunt nomina propria ex aliis lingvis desumpta & alia quoq; ob Emphasin. Certè Moses vocem Jacobi Ebraicam à Labano Syriacè prolatam retinuit, nam quod est גַּלְעָד Ebraicè, id est גַּלְעָד שְׂדֵי אֲרָם Syriacè vel Aramicè, *V. Gen. XXXI. v. 47.* Sic Pharaonis nomen est Ægyptiacum, idem quod: Rex



Rex meus, ex *Φιλογ* Rex & infixio 1. pers. ceu demonstrat Achan.  
 Kircherus in *lingv. Egypt. restit. supplement. c. 6. p. 589.* Titulus quo-  
 que Josephi *פַּנְרָא פֶּעֶנַח* Ægyptiaco idiomate à Mose reten-  
 tus fuit, nam *פֶּעֶנַח* vel *פֶּעֶנַח* futura, & *פַּנְרָא* vel *פַּנְרָא* augu-  
 rem vel vatem Ægyptiacè notat, unde levicula inflexione  
*פַּנְרָא פֶּעֶנַח* Augur vel Vates futurorum dicitur. Vid. Idem in  
*Prodromo Egypt. p. 125. seq.* Et ut paululùm ad alios Scriptores  
 sacros transeamus, nomen *Ester* (*Est. 2. v. 7.*) est Persicum, nam  
*שְׂתָרְהָ* *Stareh* vel *Sitareh* in ea lingua notat *Stellam* vel *astrum*,  
 & transferri solet ad magnitudinem animi. Vid. Musladini Sadi  
*Kulistahn sive Rosarium* (ex edit. Cl. Gentii) p. 58. Sic *כִּיּוֹן* *Amos*  
*V. v. 26.* est Arabicum *כִּיּוֹן* *Saturnus*, unde & *Actor. VII. v. 32.*  
 adhibetur vocabulum *πευφάρι* illi in lingua Ægyptiaca æquipol-  
 lens. Conf. Lud. de Dieu ad *Act. c. 7.* Pokokius ad *AbulFarajum p. 390.*  
 & Kircherus *lingv. Copt. restit. Supplement. c. 3. p. 527.* Ad alia pro-  
 gredi non lubet. Patet ex hisce nomina propria à Scriptoribus  
*ἑσπεύουσιν* mutata non fuisse. Dixerint illi retenta esse, licet  
 non omnia. Sed edisserant quænam mutata & quare quædam  
 mutata?

§. 3. Secundum effugium est, quod ajunt illa nomina &  
 Etyma etiam ex aliis lingvis desumi posse. Quod nomina illa an-  
 tiquissima attinet, inquit J. Casp. Myricæus *Pref. Gramm. Syro-  
 Chald. vera illa Syra sunt, optimamq; habent in hac (lingvâ) inter-  
 pretationem.* Sed uti nulla planè eorum etymorum ex aliis lingvis  
 desumi posse præfractè non asseremus, ita OMNIA ex alia qua-  
 piam lingua desumi posse *ἀπολόμω* negamus. Certè nec *שֵׁן*  
 dicitur Chaldaicè, sed *אִתְתָּא* *ittetá*, nec *אִשׁ* *vir*, sed *אִשְׁתָּא*.  
 Sic *שׁוּר* (unde nomen *שֵׁר* *Setbi*) non sign. Chaldaicè *Pone-  
 re*, sed pro eo usurpatur *שׁוּר*. Vid. Buxtorf. *Lexic. Talm. p. 2337.*  
 Imò ne simile quid in omnibus dari potest. E. g. *שֵׁן* ita  
 dicitur, quia desumta est ex *אִשׁ* *viro*. Sed Chaldaicè *אִתְתָּא*  
 non potest dici à *אִשְׁתָּא*, nec *אִשְׁתָּא* notat fœminam. Nec  
 talis convenientia datur inter voces Germanicas *Mann* & *Frau*/  
 (*Männin* enim ad imitationem Ebraismi factum est, aliàs non  
 usitatum) Græcas *ἀνὴρ* & *γυνή* (*ἀνδρῆς* factitium nomen est) Ara-  
 bicas *رَجُلٌ* *rásjulon* & *أنتى* *entja*, Persicas *Nar* vel *mard* &  
*Sen* vel *Madeh*, Turcicas *Er* & *Abreth*, Ægyptiacas *μενωμ* &

B 085X111

desumta  
 dote &  
 fit bre-  
 remitti-  
 ayerum  
 lli, qui-  
 tendere  
 im aga-  
 non in  
 effisse eo  
 . 11. Gen.  
 funda-  
 possint  
 2. Non  
 avariata  
 ria mu-  
 itidem  
 Plato  
 veniens  
 absurdius  
 Eva ge-  
 r viven-  
 n inter-  
 m, sive  
 il. Sacr.  
 nomina  
 primus  
 sed A-  
 gò im-  
 ratione  
 a Moses  
 lingvis  
 Jacobi  
 od est  
 V. Gen.  
 quod:  
 Rex



ⲉⲃⲉⲛⲁⲓ, Armenicas *Mard & Knig* vel *Hbaz*, uti facile apparet. Risum verò movet cordatis *J. Gorop. Becanus*, dum eas voces, quarum Etyma Sp. S. expressè innuit, ex *Belgica* sua lingua derivare satagit. *Adam* enim qui dicitur ab אדמא terra (*Gen. 2. v. 7.*) ipsi est dictus quasi *Haat-dam* i. e. *agger odio subjectus*, in *Hermathena* p. 95. & in *Hieroglyph.* p. 133. Sic *Babel*, à confusione (rad. בבל confudit) dicta, ipsi à voce *Babeln* derivatur, quæ, si quid dicendum, à *Babel* commodius dici posset, *V. Hermath.* p. 218.

§. 4. Deniq; excipiunt, quædam etiam ex lingua Ebraica explicari non posse. Ut dictis faciant fidem, producunt locum *Gen. IX. v. 27.* יפח יפח, dilatat Dominus יפח יפח Japhetum. Conquirunt rationes, quare יפח dilatandi significationem habeat hic loci. Jam יפח (unde & יפח) non ex Ebraismo, sed ex Chaldaismo tale quid significare posse. Verùm facilis est responsio. Si vel maximè יפח in significato famosiori sensu alliciendi exponatur, non aded absurda erit versio: *Alliciet Dominus Japhetum*, quæ arridet *Tremellio* aliisvè, ut innuatur gentium per blandam Evangelij vocem ad veram Ecclesiam vocatio, earundemq; cum *Israelitis* cooptatio, uti exponunt suam sententiam. Sed nulla nos cogit necessitas, quò minus dilatandi significationem retineamus vel Ebraismo etiam acceptam non feramus. Multæ voces in S. S. sub aliqua significatione semel tantum occurrunt, propterea ex Ebraismo non eliminandæ. Placent nobis verba *Mayeri Phil. Sacr. P. II. p. 299.* Non, ait, *Noah* Chaldaico usus est idiomate, sed *Chaldae* post linguarum confusionem significationem hanc (dilatandi) verbi יפח paulò rariorem ex *Ebræo* in suum traduxerunt idioma, eaque frequentissimè usi fuerunt, ut jam videatur magis *Aramæa*, quàm *Ebræa*. Conf. etiam *Füllerum Misc. Theol. lib. 2. cap. 4.*

ASSERTIO IV.

Lingua Chaldaeo-Syra non est primæva.

§. 1. Evidentum est à nobis hætenus linguam Ebræam esse antiquissimam. E. Chaldaeo-Syra non potest esse antiquissima, cum una modò sit antiquissima & primæva. Οὐδὲν ἡμῶν nobis sunt *Judæi* omnes & primitivæ Ecclesiæ Patres, id quod rectè contra *Becanum* urget *Marcus Anton. Marsilius de fonte Justrali p. m. 15.*

Excip-



Excipiendus tamen est *Theodoretus* & ille quidem, quod sciamus, solus, *qvæst. XII. in Gen. suæ, i. e. Syriacæ* lingvæ istam vindicat gloriam. E recentioribus Theodoro succenturiati & lingvæ Syro-Chaldaicæ primævitatem asserere conati sunt *Maronita de monte Libano*, eosq; inter *Georgius Amira, Præf. Gr. Syr.* & præter hos *Joh. Cass. Myricæus l. c.* Illum refutavit *Waltonus l. c. Prolog. 3. n. 7.* hunc *Barth. Mayerus Phil. Sacr. P. II.* Consentit cum prioribus *F. Thomas Campanella*, Scriptor *κρηνοχυ|εγληρηγω*, de sensu rerum & magia l. 4. c. 2. p. 265. Appellabant, inquit (nim. primi homines) communi nomenclatura *DEUM Jovem*, quæ propter lingua Hebraica dependens à Chaldaica, quæ prima fuit, nuncupat adhuc *DEUM Jehovaham*. Nec abhorret à Maronitarum sententia *Athan. Kircherus* in splendido opere *Oedip. Ægypt. Tom. II. Class. 2.* distinguit verò inter antiquissimam linguam dogmaticam sive doctrinalem, quam vult Ebræam esse, & idiomaticam sive usualem, quam facit Syriacam.

§. 2. Verùm imbecillior est hæc sententia, quàm ut diu consistere possit. *Syrorum jaētantia nil probat*, rectè dicit *Magnus noster Calovius Annot. Anti-Grot. ad c. XI. Gen.* *Myricæi* verò rationes quarum plerisq; & *Amira* utitur, breviter iustrabimus. *Dicit 1.* Gentem Chaldaicam Ebræa esse antiquiorem. E. & linguam. Multus est in eo, ut antecedens probet. Allegat pro se, Chaldaeos vocari *חַלְדָּיִם* gentem à seculo. *Jer. V. v. 15.* *χαιδαίων ἀπογόνης* dici Ebræos *Judith. V. v. 5. & 6.* Addit *Eberum & Abramum* parentibus Chaldaeis ortos, in Chaldaea educatos Chaldaicisq; moribus imbutos esse. E. & Chaldaea linguam usos. Nec putat certum esse *Eberum* in ædificationem turris non consensisse. *Dicit 2.* Chaldaicam linguam esse simplicissimam. E. & antiquissimam. *Dicit 3.* Nomina hominum antediluvianorum ex lingua Chaldaeo-Syra quàm commodissimè desumi posse. E. eam esse primævam. *Dicit 4.* verisimile videri secundum *Adamum* eadem, quæ primus *Adam*, lingua uti debuisse. Secundum Syra usum. E. & primum.

§. 3. Cum hisce rationibus prolixè satisfecerit *Mayerus l. c.* nos breviores ducemus lineas. Quod igitur ad primum argumentum, negamus antecedens. Nec enim causæ *Myricæi* patrocinatur locus *Jer. V. v. 15.* nam ludit vocabulo *חַלְדָּיִם*, cujus diver-

sas significationes ignorare non potuit. *R. Kimchi* dicit hic indicari  $\text{כַּרְמֵי}$  *tempus longum*, & *R. S. Jarchi* notat propterea sic dici gentem Chaldaicam, quod orta sit *in seculo γλωττοσυγχύσεως* *Babylonica in regione Sinear*. *B. Lutherus h. l.* quidem vertit: Die das erste Volk gewesen sind / sed *Myricæi* causam tamen non agit. Videtur quippe respicere ad tempus *γλωττοσυγχύσεως*, quo turba *Nimrodia* & *πυργοποιῶν* in universum terrarum orbem dispersa & in plures populos divisa est. Et sic saltem non asserit Chaldaeos ante Eberum, qui *πυργοποιήσας* non interfuit, fuisse. Nec ex libro *Judith* thesin suam *Myricæus* obtinet: cum concedi queat aliqua ratione *Israëlitas* fuisse *ἀπογόνους χαλδαίων*, scilicet qui tales erant *habitatione & incolatu*, non verò *lingua & cultu*. Et licet hic locus diceret, quod vult *Myricæus*, ne latum tamen ungvem à nostra cederemus sententia, cum liber sit *Apocryphus* nec careat mendaciis, quod probant *Theologi*. Eberum porrò negamus vel gente, vel moribus, vel sermone Chaldaum fuisse. Chaldaeos quidem seu  $\text{כַּשְׁדִּיִּים}$  quidam deducunt ab *Arphacsad* qui Eberi parens *Gen. X. v. 22.* unde *Fr. Junius in notis*: *Arphacsad, à quo per Apharesin Caschdim h. e. Chaldaeos dictos volunt.* Sed id nimis coactum & incertum est. Rectius Chaldaicæ gentis author statuitur  $\text{כַּשְׁדִּי}$  filius *Nahoris Gen. XXII. v. 22.* Probamus id 1. *ex analogia Grammatica*. Facilius  $\text{כַּשְׁדִּיִּים}$  à  $\text{כַּשְׁדִּי}$  quàm ab  $\text{אַרְפַּכְשָׁד}$  deducuntur. 2. *ex ἀξιοσφῆ historica*. *Ceschedi* frater fuit *Kemuel*, qui  $\text{אָרָם אָבִי}$  *Pater Aram LXX. πατὴρ Σύρων.* Sic & *Theander* noster: *Von dem die Syrer kommen.* Quicquid sit, *Aramæos* haud obscuri authores deducunt ab hoc *Aram* & non ab altero illo filio *Semi Gen. X. v. 22.* cujus posteris *Arias Montanus Ant. Jud. l. 1. Phaleg*, *Armeniam* assignat, licet ab eo *Aramæos* dictos velit *Fr. Junius*. Sed *Nahori* ex *Rehuma* concubina etiam susceptus dicitur *Maacha*, à quo procul dubio nomen habet *Aram* sive *Syria Maacha*, cujus mentio fit *2. Sam. X. v. 6. 8.* Et ut *Aram* atq; *Cesed* sanguinis, ita *lingua Chaldaea & Aramea*, sive *Syriaca* propinquitatis arctissimo vinculo conjunctæ sunt, unde & illa *Aramæa* vocatur, ut ex *Daniele* constat. Sic & *Abrahamum Chaldaum* fuisse negamus. Locus *Gen. XI. v. 28.* nil probat. Nota quippe est *Antilepsis* historica. Et posito, tempore *Abrami* Chaldaam linguam viguisse in *Ur*, nondum probatur, *Abramum* eâ usum

usum

547

usum esse, & dato etiam hoc, non concedemus fuisse ipsam eī vernaculam. Sed ergò, inquit *Myricæus*, duabus lingvis usus est. Certè id non est absurdum: *Eberina* verò fuit ipsi vernacula, *Chaldaea* potuit esse super hanc acquisita. Sic cum *Jacobus* per aliquot annos apud *Labanum* commoratus esset, nemo negabit ipsum Syram addidicisse linguam eaque in communi cum Mesopotamicis conversatione usam fuisse, unde & *Syrus* dicitur *Deut. XXVI. v. 5.* Eberum deniq; cum malignā *πυροποπιών* turba conspirasse falsum omninò est, cum in ipsius familia lingua primæva conservata sit. Negant hoc iterum multi: vel certè in ejus familia sola Ebræam linguam conservatam & propagatam esse inficiantur. sed frustra. *Waltonus* objicit 1. multa nomina urbium Chananæarum nec non hominum, quæ purè Ebraica. 2. Ebræos cum Cananæis locutos esse sine interprete. E. eandem linguam esse Cananæam & Ebræam. 3. Urget Punicæ linguæ, quæ ex Cananæa, reliquias proximè ad Ebræam linguam accedentes. Sed *Resp.* ad 1. in quibusdam esse Historicam *ἀντίληψιν*, in quibusdam concedendam linguarum *γελήνισσιν*: ad 2. id non satis probari à solo Scripturæ silentio, nec absurdum exploratores sibi Chananææ linguæ notitiam comparasse: ad 3. Ex quadam affinitate Punicæ linguæ & Ebraicæ ad identitatem N. V. C. Plura addere non lubet, cum calentem calamum sistat brevitatis studium. Allegat *Waltonus Prol. 3. n. 13.* pro sua sententia *Scaligerum, Vossium, Grotium, Brerewoodum, Cappellum, Postellum, Genebrardum, Bochartum, Seldenum*; Sed hisce opponimus *Magn. Dn. D. Calovium in Crit. Sacr. p. 308.* *Mayerum Phil. Sacr. P. I. f. 21. & P. II. p. 329.* *Füllerum Misc. Theol. l. 4. c. 4.* *Buxtorfium Diss. de Conserv. L. Ebr. §. 7. seq. & alios.*

§. 4. In secundo argumento negamus antecedens, negamus & consequentiam. Consequentia est inepta. Est quidem canon *Metaphysicorum*, simplex esse natura prius composito, eò nimquod ex illo simplici constat. Concedimus & absolutè simplicissimum esse antiquissimum. Sed absolutè simplex est solus *DEUS*. Aliàs verò non concedimus quod *κατὰ π* est simplicius, id protinus esse antiquius. Sed & antecedens negatur. Nam lingua Chaldaica non est simplicissima. Si Syllabarum numerum spectemus Chinaicæ hæc laus tribuenda videtur. Nec tamen simplicitas

vocum alicujus lingvæ ex numero literarum, sed ex constitutione & analogia Grammatica metienda est, & sic Ebraica lingua et simplicissima. Sed & si voces ex numero literarum æstimentur, Ebraica Chaldaicâ simplicior est, ceu probat Scaliger *l. 3. Epist. p. 477.* & Mayerus *P. II. p. 352.*

§. 5. Tertium argumentum in Myricæum retorquemus, vid. *Aff. 3. p. 3.* Quartum nimis dilutum est. Argumentarer & ego: *Secundus Adam natus est ex virgine. E. & primus. Secundus Adam crucifixus est. E. & primus. Secundus Adam natus in Bethlehem. E. & primus.* Auditum admissi risum teneatis amici. Similia non extendenda sunt extra suum comparationis tertium.

§. 6. Ut *ως εν παρ εγδω* hic & Abyssinorum mentionem faciamus, putant & ii (ita suum cuiq; pulchrum) suam linguam Ebræâ vetustiore adeoq; primigeniam esse, notante Mar. Victorio Reatino *Gramm. Æth. Proæm. p. 1.* Fortè iisdem depugnant rationibus, quibus Maronitæ & Myricæus, cum linguam suam Chaldaicam vocent (Joh. Reuchlinus *de arte Cabbalist. l. 1. p. m. 721.* ad Chaldaicæ differentiam Chaldiacam dixit) licet causa appellationis istius non sit admodum manifesta. *Cur nostra Æthiopica lingua Chaldaea à quibusdam appellata fuerit, inquit Nobilis. Jobus Ludolfus Jctus Lexic. Æthiop. p. 292. nec Æthiops meus dicere poterat, nec ego conjicere possum.* Nec enim quod sciamus, Abyssini se Chaldæorum *Ἰσραηλῆς* profitentur, quin potius profapiam Regiam & præcipuarum familiarum originem ex stemmate Israëtico accersunt & pro certissimâ habent traditionem suam de *Makeda Regina Sabæa*, quod ex *Salomone* conceperit, filiumq; pepererit, omnium Æthiopiæ Regum stirpem atq; parentem. Venisse quoq; cum eo Viros Nobiles eorumq; posteros adhuc superesse, seq; vocare *Dakika Israel* filius Israël. Vid. Job. Ludolfi *Not. ad Conf. Claudij Regis Æthiopiæ.* Quicquid sit non aliter quàm Chaldæam hanc linguam vocat Joh. Potkenius in *Psalt. Æthiop.* & ita ab Abyssinis dici ait *Victorius l. c.* & adventitiam ex Chaldaica esse linguam vult *Jos. Scaliger de Emend. temporum l. 7. p. 638.* Certè si hanc linguam pro antiquissima habent Abyssini, id sola sua jactantia obtinere non possunt.

ASSERTIO V.

*Lingua Cimbrica non est primæva.*

§. I. Job.

§. 1. *Job. Goropius Becanus* de lingvæ Cimbricæ, sive Flan-  
 dricæ, sive Belgicæ, sive antiqvæ Germanicæ primævitate com-  
 mentum ingeniosè quidem defendere voluit sed paucos hæcenus  
 ὁμοψήφως habuit. Rationes ejus huc redeunt 1. dicit, voces  
 aliarum lingvarum ad Belgicam lingvam reduci posse. E. eam esse  
 primævam. Antecedens ut obtineat, voces cum primis Ebraicas  
 ad Cimbricas origines reducere satagit, ita nonnunquam, ut vel  
 Catoni risum, invito extorqueret. Sic בְּהֵמוֹת ipsi est quasi  
 Been-hot / i. e. pecudum & inimicitia caput. *Hieroglyph. p. 228.* כְּתָב  
 ipsi per metathesin videtur esse ex בּוֹכֵם / i. e. librum signare  
*ib. p. 31.* 2. ait, Lingvæ Cimbricæ radices constare ex una Syllaba.  
 E. eam lingvam esse antiqvissimam, in *Vertumno p. 27.* Contra  
 Ebræam agit in *Indo-Scyth. Hermath. p. 204.* & *Hispanicis p. 9.* In  
*Hieroglyph. p. 45.* modum scribendi Ebræorū perstringit & eos non  
 aliter facere ait, ac si quis aliquem templo exeuntem, quasi intrantem  
 pingeret.

§. 2. Sed facilè Resp. ad 1. falsum esse omnes aliarum lingva-  
 rum voces ad Cimbricam lingvam commodè referri. Quod Cim-  
 brica cum aliis lingvis quasdam voces communes habet, inde  
 non est concludendum eam esse antiquissimam. Sic & Latina (&  
 quæ non?) esset antiquissima. Nulla facilè est lingva, quæ non ha-  
 beat unam atq; alteram vocem ad Latinam lingvam congruentem.  
 De plerisq; Europæis nemo litem movebit. Ex remotioribus  
 lingvis paucula adducemus. Conveniunt Groenlandica nomina  
*Ignis, Keiling, Nau,* & Latina vocabula *Ignis, Cælum, Navis* (vid.  
*Olearius Hodep. Ruth. Pers. p. m. 171.*) Ebraica מֶסַךְ זָרַע & Latina  
*misceo, sero.* Talmudica vocabula plura Latio originem debent,  
 ut ostendit David Cohen de Lara in עֵיר דָּוִד. Conveniunt Arab.  
 מֵתָן / פֶּרֶן / צֶלֶת & Latina *Meta, Furnus, Saltus.* Persica:  
*Pader, Mader, Kalem,* & Lat. *Pater, Mater, Calamus.* Turcica:  
*Pars, Ganac,* & Lat. *Pardus, Gena.* Æthiopica: *Yska, Yndyktion,*  
*Lant,* & Lat. *Usq, Indictio, Linteum.* Ægyptiaca: *κενσεα, κοσ-*  
*λωλ, ιτα,* & Lat. *Centurio, Cullullus, ita.* Armen. *Murr,* & Lat.  
*Mortuus.* Cujusmodi plura aliquis per otium conquirere posset.  
 Quin potiùs, cum in omnibus lingvis quædam sint Ebraicæ vesti-  
 gia ab authoribus passim studiosè pervestigata, pro Ebræa istud  
 argumentum militare videtur. Præcipuas Orientales cum Ebræa  
 contulit



350.  
QA  
7168

contulit Hottingerus. Germanicam, Latinam & Græcam, Cruciger  
P. Marpurg. Wallicam Davisius Cambro-Britannus. Danicam  
Olaus Wormius. Germanicam Claudius Mitilerus. Græcam, La-  
tinam, Italicam, Hispanicam, Germanicam, Belgicam, Anglicam,  
Svedicam, Danicam, Steph. Gvichardus Gallus. Alias alii. Si  
non omnes pari successu, nulli pœnitendo conatu. Quod ad 2.  
arg. Chinaica, vel Tschinaica lingua esset primæva, si id procede-  
ret. Nam illa fermè omnia vocabula habet monosyllabica. In  
rei fidem ex Angeli Rocchæ à Camerino *Bibl. Vat. p. 376.* ora-  
tionem Dominicam adscribemus hâc lingvâ: *Sci gin ta fu ciu  
zai tien tin. Ngo ivon ta fu min ie hin jam ngo ivon fu gin cion  
scieu cui chiai ye giu tien gin svom zum ta fu ngo ivon ta fu fo in  
chun ngo. Ngo ivon ta fu si ngo yi ciè ngo ivon ta fu cio ngo ci zui  
gja gjo baj ngo ngo ie cjè ci. Ngo ivon ta fu jeu ngo gvei scien pu  
mi zui hob. Ngo ivon ta fu chien ngo cu nan. Amin.* Quod ad  
modum scribendi Ebræorum, Becano & aliis ejus impugnatorib9  
Jul. Scaligero *de causis L. L. c. 46.* Rocchæ, &c. nil nisi hoc reponim9:  
Placeat nobis modus scribendi, qui Sp. S. placuit. Conferri hic  
poterunt Casp. Waserus *Com. ad Mithrid. Gesner. p. 113.* Christoph.  
Crinesius *disc. de confus. Ling. tb. 73. p. 10.* Christoph. Bezoldus *de  
natura populorum & lingv. ortu ac interitu c. 12. p. 64.* Mayerus *Phil. S.  
P. II. p. 351.* Waltonus *l. c. Prol. 3. n. 3.* Just. Lipsius *Epist. Cent. 3. Ep. 44.*  
Thomas Hayne *de lingvarum cognatione p. 20. seq.* Marc. Ant. Marsil.  
*de fonte lustrali p. 15.* Schottelius *Teutsch. Sprachkunst p. 58. &c.*

TANTUM.

SOLI DEO GLORIA.

**A**usibus egregiis in *Adami* noster *Adamus*  
Inqvirat lingvam; nobile thema placet.  
Faxit Supremus, non ultimus inter *Adami*  
Natos ut quondam, noster *Adame*, lies.

ABRAH. CALOVIUS D.

**T**E Tua commendat pietas, te candida virtus  
Jamdudum, SCHMIDI, tendere ad astra jubet.  
Perge viam studijs lingvarum proderit Author,  
Et Tibi, que voveo, premia larga dabit.

Joh. Andreas Qvenstedt, D. P. P.

WPM



536.  
18



PRO

PRO

PRO

PRO

ADAM